

Scholae in Platonis Phaedrum.

Praefatio.

Quamquam huic commentationi non fere plus propositum est, quam ut singulis quibusdam locis Phaedri Platonis ex enarratione sanitas ac vera lux quaeratur; temperare tamen animo nequeo, quin gratulationem quandam expromam de felicitate, quae nuper literis Platonicis virorum lectissimorum virtute *) quum omnino obtigit, tum illius dialogi cum artificio sententiam et veram vim illustravit. Effectum autem hoc est maxime eo, quod oratio partis prioris tertia, quae totius actionis cardinem habet tandem aliquando eo, quo pridem et ex primordiis debuerat, loco haberi coepta est. Nam posteaquam magis magisque intellectum est, dialogum orationis humanae intimas complecti atque aperire causas, orationis, inquam, quae mentis animique interpres usque ex commentatione nascitur, eoque tantum et tale exhibet, quantum et quale mens animusque suggesserit ut poeta histrioni, non potuit amplius latere, quantum vertatur in ea oratione. Haec enim est illa, in qua Socrates simul amorem ardorem divinum interpretatur simul animo humano naturam immortalem, vim moventem atque eam vindicat, quae tamquam animal immortale alatur, vigeat, et quasi succrescentibus pennis ex inferiore loco usque sursum ad divina feratur, ad

*) Praeter Stallbaumium, qui plurimis nominibus interpretationem adiuvit, dico Steinhartium, Susemihlium, Deuschlium.

pulchrum, sapiens, bonum, quaque idem Socrates deinceps animi immortalis omnem sive omnino intelligendi ac verum assequendi indolem sive peculiarem facultatem ac vitae sectam ex vita ante terrestrem acta repetit. Degisse autem eam fingit in loco sublimi, ubi rerum vera species et essentia ipsa versabatur et spectabatur per circuitum deorum; et prout quisque animus hoc vel illo deo duce spectaverat et sustinuerat spectare, varia utitur in vita terrestri tum secta tum facultate. Haec vitae prioris ac spectationis imago illustris efficta est illa quidem sane poetae more modoque tamquam rei actae, atque ipsum istud, quod viris istis rerum speciebus s. ideis locum et spectabilem naturam addidit, Platonem non philosophum sed poetam fecisse recte dicemus. At suberat imitationi poeticae placitum certum et sumtio necessaria; nam quum iam Socrates sensisset interrogando non tam indi notiones quam citari, ipsumque discere esse recordari s. reminiscendo recognoscere (Xen. Oec. 19, 15. Plat. Menon. 82 A) Plato adscito percultoque idearum placito in recordatione omnem docendi discendique vim et facultatem positam censuit, eaque quod effertur a Socrate in oratione tertia (249 C) eum cardinem quendam esse totius orationis recte praedicamus *). Sed recordatio eadem quum causas habeat et studii cuique insiti et communionis studiorum, et denique orationis scriptionisque omnis, quae propositae animis veritati studet, eius imperium quoddam per totum opus pertinere haud immerito dicimus. Quae sententia ita posita a Stallbaumii, quam ed. II. praef. p. LXXXVIII—XC completus est, verbis magis quam re differt. Illud modo liceat magis efferre quod Platoni, et idearum assertori et vitae philosophicae regundae auctori, dialectices vocabulum ac notio omnem disciplinae, quae animum subigit et emendat, vim habere videtur.

*) Susemihl, die genet. Entwickel. der Plat. Philos. p. 244.

Finita illa oratione sequitur colloquium s. actio inter Socratem et Phaedrum adolescentem, quae altera dialogi universi pars rursus tres habet actus s. sanioris disciplinae sententias. Ac primum hoc demonstratur, orationem omnem, quae animis audientium satisfaciatur a scientia et intelligentia eius quod vere sit duci oportere; aliter enim neque ideae subiici, neque totum conficere, neque artis verae mensuram explorare.

Hanc sententiam, quae de rerum intelligentia earumque iusta tractatione praecipit, excipit altera, quae hominum, ad quos oratio pertinet, cognitionem requirit. Vim artemque dicendi ait Socrates in *ψυχαιγωγία* quadam cerni (261 A coll. 271 CD), neque eam solum, quae in foro iudiciisque versetur, sed omnino omnem. Ducere autem animos vel omnino quidquam in audientium animis dicendo efficere neminem posse, nisi qui quum communem animorum naturam exploratam habeat, tum eos pernoverit, quibuscum maxime agat. Qui locus (271 D) praë ceteris admonet eorum, quae in maiore de animi natura, de instaurationis desiderio et ardore, eiusque ardoris communicatione a Socrate disputata sunt et fere conclusa: 253 A—C.

Sequitur denique tertia sententia, quae est de tradendi et docendi modo. Non scriptis quemquam recte docere aut doceri; quae semel exhibita neque eligere possint, quibuscum maxime loquantur, neque dubitantibus vel ultra quae- rentibus respondere (275 D. *σεμνῶς πάνυ σιγῆ*). Verum docendi vim eam tantummodo habere orationem, quae cum scientia in discentis animo scribat, et tum succurrere sibi porro parumque intellecta aut probata sustinere possit, tum eos, qui doctrinae capaces sint, bene dignoscere. Ita colloquio et iis qui coram habentur sermonibus ad veram disciplinae utilitatem partes deferuntur primae.

His igitur partibus dialogi summa conficitur. Qui quum nuper potissimum enarratores nactus sit, uti supra dixi, locupletissimos ac felicissimos tamen etiam nunc sunt loci, de

quibus multum laboretur, aut quibus lux plena ac sua adhuc reddita non est. Ex his unum, qui interpolationis suspicione afflictus legitur 260 E, primum accuratius pertractare placet.

I.

In ipso fere introitu disceptationis tripartitae, de qua modo diximus, quum primum hoc quaerendum videtur, recte h. e. cum arte dicere quid sit: Socrates interrogat, nonne eum, qui recte dicturus sit, earum rerum, de quibus verba faciat, veram intelligentiam afferre oporteat. Phaedrus se alia omnia accepisse narrat; neque oratori scientia eius quod vere iustum, bonum, honestum sit opus esse, si modo illa sciat, quae vulgo talia esse videantur (260 A). Iam Socrates ridiculo usus exemplo quam male oratores populo consulerent isto modo agentes scientiamque quovis pacto necessariam esse obtinet; mox tamen sese quasi revocans: Sed ne quid rustice, inquit, artem oratoriam vituperemus. Quae facile ita ipsa sibi patrocinator: Quid tandem adeo timere in me effulitis? haud ego vi quemquam adigam, ut veri ignarus orare discat; sed, si me audiet, parata veri scientia tum me susceperit. Quae quum Phaedro satis illa quidem merito disputare visa sit, Socrates 260 E quoniam ista aliqua saltem cum liberalitate in veritatis studium suam vim luita est, quasi etiam tum dubius haec subiicit:

Φημί, εὐὰν οἷ γε ἐπιόντες αὐτῇ λόγοι μαρτυροῦσιν εἶναι τέχνην. ὥσπερ γὰρ ἀκούειν δοκῶ τινῶν προσιόντων καὶ διαμαρτυρομένων λόγων ὅτι ψεύδεται καὶ οὐκ ἔστι τέχνη, ἀλλ' ἄτεχνος τριβή. Τοῦ δὲ λέγειν, φησὶν ὁ Λάκων, ἔτινος τέχνη ἄνευ τοῦ ἀληθείας ἡφθαι οὔτ' ἔστιν οὔτε μή ποθ' ὕστερον γένηται.

De postremis verbis controversia fuit multiplex, quae si nunc sive oblitterata sive composita videtur, satis compositam non esse mox apparebit. Et Heindorfius quidem Schleiermachero auctore verba ista exterminanda censuit, utpote ascita ex libello apophthegmatum Laconicorum, qui inter Plu-

tarchea fertur (ed. Tubing. VIII. 237. Tauchn. II. 163). Damarunt deinceps alii, patronus exstitit disertior (in editione utraque) unus Stallbaumius. Qui et de loci ipsius congruentia et de interpolatione ex Pseudo-Plutarcho repetita statuit verissime, de Lacone isto si quid recte auguror non item. Vidit enim quidem interpretes spectatissimus (in altera maxime editione dialogi) et hoc enuntiatum exturbari ex orationis continuatione haud quaquam licere, et alterum, rem contra potius evenisse; ex Platone enim locum in istam dictorum Laconicorum farraginem ac deinceps in proverbialia Apostolii (Cent. XI, 10, 544 Leutsch) adscitum perperam ac temere esse. Iam vero quod idem interpretes insertam Laconis vocem ut sanam et commodam tuetur, hoc quidem demonstrabimus minus recte fieri. Tuetur autem ita, ut istum (non unum quendam sed populum) Laconem lepide adeo a Platone adhibitum dicat, qui sensus communis ac naturalis orator decretum philosophiae suo testimonio confirmet. Non ita, inquam; neque enim nunc sensui communi locus, neque forma dicti talis est, ut vel omnino sermonem popularem vel aliquam Laconismi similitudinem referat. Imo eadem ratio, quae enuntiatum orationi continenti plane congruere vindicat, etiam evincit, quoniam unius philosophiae nunc causa agatur, non alium quemquam loquentem induci nisi quos Socrates eius testes fecerit. Ac primum ipsa vocabulorum congruentia arguit, nullius nisi philosophi audiri sermonem. Nam quod in dicto quasi Laconis requiritur *ἀληθείας ἤφθαι*, id, sicuti Platonis usus locis plurimis praestatur, plane idem est atque *ἰκανῶς φιλοσοφῆσαι*. Deinde quae proxime subsequuntur, primum Phaedri: His sermonibus argumentantibus (*λόγος* una voce oratio et ratio) opus est rel., deinde Socratis: Accedite igitur et Phaedro persuadite, nisi si quis probe philosophatus fuerit rel. — ea omnia prorsus tenent philosophi studium operamque. Hic igitur actionis progressus atque ipsa orationis conformatio omnis docet, eum qui sententiam illam gravissimam eloquatur ex sermonibus, quos numero plures

Socrates accedentes et argumentantes faciat, ipsis unum a Platone informatum fuisse. Hunc igitur videndum est quomodo recuperemus, et, si critices genius adspiret, ex ipsis lituris exsculptum in Laconis importuni et imparis locum restituamus.

Ac si semel intelleximus, orationis progressum unum de grege accedente orantem requirere, continuo alterum etiam succurrit, insignem aliquo modo hunc fore, sive ipso eventu, ut cuius vox vel una vel prae reliquis exaudiri fingatur, sive dignitate et partibus, quas inter ceteros in causa communi praecipuus vel sumserit vel acceperit. Et mirum sane quam in hoc exemplo expedita vitii inveterati medicina. Quis enim huc deductus non ultro repererit Laconem interpretationis ac logices vi in participii formam redigi. Et suboritur forma duplex, lenissima mutatione utraque; aut enim sola accentus translatione δ λακῶν, aut machina simillima δ λαχῶν evadit. Proposita in hunc modum optione, mox tamen apparebit, τὸν λαχόντα quum ab usu loquendi, tum a perspicuitatis ratione, tum a condicione locum interpretandi universa praestare alteri.

Verbum λάσκειν, si potestatem quaerimus, est sonare, sonum edere, qui ad aures accidat aut aliquid vocis sono prodere, ita ut contraria ei silentii vel premendi aliquid notio. Iam quod verbum tragicorum fere proprium esse constat, ac deinceps quidem a comicis satis crebro usurpatum, sed a solutae scriptoribus nunquam, ea insolentiae ratio sola si obstaret, haud quidem continuo absterreremur, quominus a Platone, et in hoc sermone, admissum crederemus. Sed primum quum φθέγγεσθαι verbum fere idem declaret neque differat nisi quod λάσκειν plerumque soni importunioris ac rudioris vim insuper referat, cur hoc uno loco hoc potius quam illud posuerit, idonea causa fingi nulla potest. Neque enim voci rudiori nunc locus est. Atqui omnino sicuti contraria silendi notio in ceteris illis quibus δ λακῶν opponeretur, acuenda et efferenda non erat, ita ne ipse quidem unus ille

vocem efferens satis eleganter ac scite uno vocis usu insignis dictus foret. Si vero Plato hoc voluisset, sine dubio non simpliciter ὁ λακῶν, sed ὁ μέγιστα λακῶν vel ὁ λακῶν μάλιστα τῶν ἄλλων dicturus fuit.

Longe digniore nota ὁ λακῶν insignitur. Scilicet sermones personati, qui artis falsae arrogantis obviam ituri eamque nomen ementiri suum argumentis probaturi accedunt, quoniam quamvis consentientes certe tamen non omnes simul loqui possunt, ex suo numero unum, ut mos erat, elegerisse finguntur, qui commune omnium quasi decretum graviter eloqueretur. Si structuram quaeris, praeterquam quod subiectum toti enuntiato subesse λόγος ultro sequitur, ne ad ὁ λακῶν quidem aliud quidquam atque λέγειν apud animum addideris. Locum ita adornatum et hanc polissimum oratoris causae communis significationem Graecis lectoribus ad intelligendum fuisse promptissimam, vix est quod pluribus demonstrarem. In vulgus enim notum est, λαγγάνειν verbum praeter usum iudiciale et alterum, quo munera sortiti esse dicebantur, eo dilatari solitum esse, ut ὁ λακῶν sive addito sive intellectu vel accusativo vel infinitivo omnino is diceretur, qui quasi sorte iuris aliquid vel muneris nactus esset. Exempla totius usus disertiora haec sunt: ὁ λακῶν Plat. leg. VI 765 B οὐ λακῶν Aesch. Eum. 707 Herm. 685 Well. Arist. Plut. 972 ὄσπερ Plat. Civit. VIII. 561 B. Praeterea v. Passov. Lex. ed. V. s. v. λαγγάνειν.

Defunctus hunc in modum vitii veteris emendatione de Pseudo-Plutarcho et Apostolio tantum addo, utrumque ipsum videri aliquatenus sensisse, dictum illud, quo Laconis esse agnosceretur, peculiari nota egere; praefixit enim uterque formulam obtestandi Laconicam Νῆ τῶ Σιῶ. Plato autem cuius liber eam nullus refert, ipse tamen sane non aliter neque plus Laconi tributurus fuit quam id genus formulam; cfr. Menon. 98 C. Theaet. 170 E. Phaedon. 62 A extr. Civit. IX. 575 D. Ego vero, quamvis de doctorum hominum assensu vix habeam, quod dubitem, tamen magnopere gaudeo ac

laetor, quod ex proximo commercio studiorum legentibus narrare licet, Stallbaumium eundem, qui cetera tam egregie, nunc etiam de loco, quem exegi, prorsus suffragari.

II.

Phaedr. 275 BC coll. Civit. VIII. 544 DE. Apol. 34 D et deinceps Hom. Od. τ, 163. Il. ζ, 126. Hesiod. Theog. 35. sive interpretatio proverbii, quod de quercu et rupe fertur.

Pergo ad alterum locum dialogi eiusdem et eum, qui non ut prior emendatione sed merae enarrationis ope eget, ut recte vereque intelligatur. Quam enim habet oraculi Dodonaei mentionem finitimam proverbio, quod apud testes antiquissimos Homerum et Hesiodum de quercu et rupe legitur, ea quosdam interpretes Hesiodi simul, simul Platonis induxit ac fefellit mirum in modum. Agendae igitur sunt quaedam vindiciae et de proverbii vera sententia enucleatius exponendum. Quod ut rite ingrediatur, quoniam quaestio potissima de proverbii interpretatione proponitur, altinere videtur, ut legis hermeneutices admoneatur, quae generalis quaedam ad plures locos antiquitatis eosque amplissimos pertinet, suum autem usum etiam habet proverbiorum in genus.

Subnascitur lex quam volumus ex ampliore illa, quae insita et innata studiis antiquitatis philologorum operae omni praesidit. Haec enim studia quod certe historiae sunt nihil antiquius habent, quam ut aetates diligenter discriminatas observent. Ratio autem, quae ex ampliore norma ducitur interpretibus inprimis observanda, ea est, ut intelligant aliud esse rerum origines rimari, aliud res progrediente aetate in certam speciem adultas usuque vigentes explicare. Sunt autem tres fere loci, in quibus tractandis cognoscendi et vere interpretandi via diversa et duplex sequenda praecipitur, vocabulorum singulorum interpretatio, quorum usus ab etymi vi atque indole adeo saepe variat; interpretatio deorum maximeque heroum, qui ut primum carminibus celebrati sunt ac deinceps artis plasticae operibus formati, allegoricam si

quae suberat naturam dudum exuerant; denique proverbiorum interpretatio. Et haec quidem a duobus illis eo discrepant, quod nequaquam ex sola heroica aetate eiusque imitationibus repetenda sunt, ne pleraque quidem, sed omni aetate efflorescunt, ut quaedam ex novissima suborta aequae revalescere potuerint atque ex antiquissima. Deinde alterum insigne accedit, in quo in huius quaestionis usum plus etiam vertitur, bene tenendum hoc: origines proverbiorum tot fere et tam varias esse, quot utimur nos homines experientiae et animadversionis. In universum ut digeramus, nascuntur et nata sunt apud veteres alia ex visis, alia ex factis, alia ex observatione sive rerum naturalium sive vitae hominum, alia ex historia. Ex historia quae nascuntur, maxime admonent eius indolis proverbiorum ut metaphoram quandam habeant. Hoc autem, nisi cum tritissimo quoque dicto confundas, proverbiorum generi proprium est: ut quae nascantur ita, ut sive nomen et res pro sua natura, sive eventum aliquod certum, sive actio sive ratio peculiaris aliqua ex proprio in usum intellectumque generalem et nullis communem vertantur. Quodsi eius quod quaerimus exempli origo ipsa per se ambigua debet videri, utrum ex rerum vetustiorum memoria (historia) an ex visis naturalibus, quae omnium aetatum communia sunt, natum fuerit; quoniam nobis res est cum literis Graecis testibusque etiam antiquissimis, qui quidem exstant, Homero et Hesiodo, horum ratio sane recte existimanda. Neque enim a principio exstiterunt antiquissimi, sed ad primordia poesis satis recentes progressu temporum pereuntibus operibus aliis quum propter virtutem prae aliis servati essent facti sunt demum — fortasse inde a primis olympiadibus — antiquissimi. En ipsa vero eorum ratio rursus ambiguum habet interpretationem. Quod Homerus antiquiorum fabularum copia largissima usus esse et uti potuisse cognoscitur, si quod usurpavit proverbium, orlo ex antiquiore memoria usus esse videri potest, sed quoniam proverbia multa saepe etiam ex obtutu rerum naturalium quavis aetate nata sunt,

anceps et aliis rationibus obnoxium est iudicium. Haec qui reputaverit et bene meminerit illius legis, quae interpretem iubet interpretum voluntates discernere, utrum originem investigent an pridem natorum usum considerent, illud primum cavebit, ne cupidus et suo arbitrio intellectum continuo petat originis simul simul sententiae ex uno et si forte altero exemplo. Exempla enim per finitima peculiari modo temperata reperiuntur. Iudicio in hunc modum suspensio ut quid et quale commune videri possit simile exemplis cunctis inesse circumspicias, cuncta quae suppetunt ita in unum conspectum sunt vocanda, ut speciem generalem a temperamentis peculiaribus distinguere studeas. Nam originem ante omnia primum investigare verum non est, ne ex Homeri quidem exemplis, cuius si quae persona metaphoram ac proverbium usurpavit, nequaquam considerate eam originis memorem loqui putabimus, sed utitur fortasse trita iam pridem similitudine etiam ipsa, sed forma grammatica proverbii, ex quibus orationis partibus a principio composita fuerit, ex antiquissimis exemplis probabilius forsitan conieceris quam ex posterioribus.

Quum materiam quaerendi suppetent potissimam Homerus, Hesiodus et Plato, hic quod tribus exemplis proverbium suae actioni inseruit, uno auctorem suum Homerum ipse citat (Apol. 34 D), in omnibus satis disertus videtur, denique qualis denique fuerit similitudo a graece sentientibus loquentibusque potissimum discendum est: Platonem idoneum satis interpretem habebimus, quem primum audiamus.

Accedamus igitur ad Phaedri locum, quem in exordio quum ipsum perperam intellectum tum omnino errorum fertilem fuisse diximus.

Pag. igitur 275 B primum Phaedrus narrationem Socratis, qua famam de literis a Theutio Aegyptio inventis retulerat, hac excipit notatione: Facile tu Aegyptias vel undelibet prout volueris narrationes fingis. Ei notationi respondet Socrates ea, quae ut quid habeant satis intelligatur, ipsa statim et exhibemus et pluribus enarramus. Sunt enim haec:

Οἱ δὲ γ', ὧ φίλε, ἐν τῷ τοῦ Διὸς τοῦ Δωδωναίου ἱερῷ δρυὸς λόγους ἔφησαν μαντικούς πρώτους γενέσθαι. τοῖς μὲν οὖν τότε, ἅτε οὐκ οὔσι σοφοῖς ὥσπερ ἑμεῖς οἱ νέοι, ἀπέχρη δρυὸς καὶ πέτρας ἀκούειν ὑπ' ἀηθείας, εἰ μόνον ἀληθῆ λέγοιεν· σοὶ δ' ἴσως διαφέρει, τίς ὁ λέγων καὶ προδαπός, οὐ γὰρ ἐκεῖνο μόνον σκοπεῖς, εἰθ' οὕτως εἶτε ἄλλως ἔχει.

De oraculi Dodonaei quercu s. fago vocali tantum annotamus: Notitia eius antiquissima aequae (Od. ξ, 328 al.) ac posteriorum vocem ex quercu collectam perhibet, etsi postea tum cymbala tum nescio quae columbae accesserunt. Verum enim illud profecto satis manifestum est orationis progressum animadvertenti, proverbium ipsum, cuius forma huic loco propria verbo ἀκούειν temperata est in hunc potissimum usum, ergo δρυὸς καὶ πέτρας ἀκούειν in explicatum intellectumque subiungi demum eorum, quae priore enuntiato de Dodonaeis hominibus dicta sunt, animadvertentibus illis arboris sive strepitum sive vocem ut apud tragicos legimus, in Prometheus 833 αἱ προσήγοροι δρυῖες, in Trachin. 171 παλαιὰν φηγὸν ἀδῆσαι ποτε, et 1168 πολυγλώσσου δρυὸς. — „His, deinde inquit, propter simplicitatem sufficiebat sive arborem sive rupem audire, si modo vera dicerent, tibi vero differt, quis et unde ortus sit, qui loquitur, ut qui non illud unum spectas, utrum sic an aliter res habeat.“ Ergo simplicitas illorum hominum proverbio illustratur nihil ultra quaerantium praeter hoc, quid dicatur. Adde quod hoc eo fit modo atque usu τῆς δρυὸς, ut oraculi s. vocis divinae ratio nulla habeatur, neque tam Dodonaea arbor quaeratur quam genus arborum silvestrium quemadmodum idem abusus vocabuli in aliis eiusdem stirpis deprehenditur plurimis: in δρυμός, sal-tus, Δρυάς vel Ἀμαδρυάδες, δρυτόμος, lignator, μελάν-δρνον, medulla arborum, γεράνδρνον, arbor decrepita, aliis, adde proverbium Δρυὸς πεσοῦσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεῖται. V. Doederl. Gloss. Hom. I. 146. Hinc si proficimus ad πέτραν, rupem, nemo non sentiet, huius eandem esse naturam, ut videamus par agreste, instrumenta vilia nulla re insignia,

minime certe sacra ipsa. Nam etiamsi *δρῶν* proverbii non, ut orationis complexio adigit, omni divinitatis communione exuissemus, tamen rupes certe eam induere nunquam posset. Non igitur verum vidit is qui ap. schol. B. ad *Il. λχ*, 127 ἡ *χορημοῦς διηγεῖσθαι. Δωδώνη γὰρ δρῶς, πέτρα δὲ Πυθῶν.* Quamvis enim compertum et in vulgus notum sit oraculum Pythium in locis saxosis situm fuisse, et nomina eius varia rupem adiunctam habeant multis exemplis, *Πυθῶ περιήεσσα* Hom. *Δελφίς πέτρα* Soph. O. T. 764. Eur. Andr. 999. *Πυθία π.* Eur. Ion 550. *Παρθυσία π.* Ar. Nub. 603. *Κωρυκίς π.* Aesch. Eum. 22 quamvis plures mentiones soli saxosi uti res ipsa ferebat, simul sint de vaticinante ibi deo vel vaticiniis ibi editis; tamen neque ex rupe edita quisquam dixit unquam neque potuit cuiquam in mentem venire, a natura tot locis communi significare oraculum Apollinis nota disertiore non addita. Quid? quod ne quercus quidem ullo loco sine nota finitiore sive Iovis sive Dodonae sive propriae facultatis oraculum refert (Od. ξ, 328. *ἐκ δρυός — Διὸς βουλῆν*). Itaque rupes ne ex adiecto quidem ultra naturam simplicem et communem decoratur.

Videntur rationes expositae satis praestare, explicationem scholiastae, quam ipse pluribus mixtam non refert nisi per saturam, stare non posse. Quod si ita est, ne silentii quidem illa sacri opinio subesse proverbio potest. At exstitit vir virtutibus meritisque, ornatissimus, Goettlingius, qui ad locum Hesiodi Theog. 35 eandem proverbio originem dicam an sententiam vindicatum iret. Quodsi intelligimus, locum Hesiodi, ut poeta isto proverbio se a narratione revocat, quae fuit de conversatione cum ipsis Musis, hunc sane prae ceteris exemplis potuisse ad illam sententiam amplectendam inducere, tamen ne de hoc quidem assentiendum puto, nedum ut Platonis et Homeri exempla uti Goettlingius fecit, ad eandem interpretationem revocanda censeam.

Si lex quae in exordio huius disputationis rogata est, recte habet, distinguimus a suspicionibus quae de origine vel

primis visis, tentari possunt unde proverbium natum sit, quaestionem de insito simili, quod formae generalis instar ad visa perceptaque multa translatum est. Hoc commune quale sit, optime, inquam, videmur cognoscere a scriptore, qui pluribus exemplis eo usus est, et vero Platone, inprimis diserto. Singulos quum exigimus locos animadvertenda enuntiatorum est conformatio syntactica; eius enim varia comparant temperamenta, ita ut commune cunctorum exemplorum non plus sit quam par illud quercus et rupis.

Vidimus in Phaedri loco, ubi Socrates proverbium ad veterum hominum simplicitatem (*εὐήθειαν*) illustrandam adhibet, duo vocabula iunctim regi a verbo *ἀκούειν*; iunctis enim neque una quercu ut uteretur, formula postulabat, quae non erat nisi iunctorum. Iam simplicitatem non eandem quidem, quam in veterum illorum animis vidimus sed illam, qua rudia a subactis, naturalia et ultro nata a factis et figuratis, indiscreta et carentia signis dignoscendi ab insignitis et moralis differunt. Talis ratio oppositi subest primum loco Civit. VIII. 544 DE *Οἷοθ' οὖν, ὅτι καὶ ἀνθρώπων εἶδη τοσαῦτα ἀνάγκη τρόπων εἶναι, ὅσαπερ καὶ πολιτειῶν; ἢ οἷε ἐκ δρυὸς ποθεῖν ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίνεσθαι, ἀλλ' οὐχὶ ἐκ τῶν ἡθῶν τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἃ ἂν ὥσπερ ῥέψαντα τὰλλα ἐφελκύσσηται*; Civitates igitur, ait, non ex materiis indiscretis quae et ubivis et perpetuo eadem sunt, sed ex hominum moribus variis fiunt, ut quot horum sunt species, totidem reperiantur civitatum, si quidem in unaquaque mores cetera (instituta) trahunt. Non dissimilis ratio est tertii, quod apud Platonem exstat, exempli: Apol. 34 D *Ἐμοί εἰσι μὲν πού τινες καὶ οἰκεῖοι. καὶ γὰρ τοῦτο αὐτὸ τὸ τοῦ Ὀμήρου, οὐδ' ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρας πέφνκα, ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων, ὥστε καὶ οἰκεῖοί μοι εἰσι καὶ νιεῖς γε τρεῖς.* — Ne ego quidem, inquit, ortus sum ex quercu vel rupe, h. e. naturis inanimatis, ab omni affectu motuque abhorrentibus sed ex hominibus, ut habeam cognatos quum alios tum liberos; possum igitur — ideo enim haec omnia disputat — simili-

ter facere atque alii, ut ad misericordiam vestram iudicum movendam in rem vocem domesticos et amicos; sed hoc neque me neque vos dicere arbitror. Hanc veram esse oppositi vim neque illud ἐξ ἀνθρώπων aliud quidquam velle, quam ut se quoque lamentationes adhibere posse doceat, omnis decursus orationis praestat. Videmus igitur rursus notionem illam simplicitatis singulari modo temperatam atque igitur omnino tribus Platonis exemplis imaginis eiusdem totidem inesse temperamenta.

Sed intelligenter sane Frommelius in annotatis ad scholia Aristidis p. 418 sq. exemplis quae quercum et rupem habent altera velut explicationi adiecit, quibus idem Plato lignum et lapidem plane eadem ratione copulasse videtur. Haec enim pluribus locis ponit tanquam genera materiae rudis et inconditae, quaeque omnino nulladum nota insignita ac discreta sit. Ita iis Hipp. mai. 292 D pulchri, Gorg. 468 A boni vel mali, Theaet. 156 E albi nota addenda informantur. Alcib. I. 111 BC lignum et lapis exempla ponuntur rerum, quas sermo hominum suis vocabulis insigniat. Aliis II. iisdem copulatis ipsius materiae cuiuslibet commune genus declaratur: Phaedon. 74 A Parmen. 129 D. Denique Euthud. 300 B per illam cavillationem qua vocabula voce expressa et res vocales confunduntur, quaeritur, utrum, si quis ligna et lapides dicat, eane silentia dicat an sonantia. Recursus hic quum documento sit, quam obvium tractatumque fuerit Platoni, materiam primigeniam rudem indistinctam istorum potissimum vocabulorum pari denotare: eo philosophi usu proverbii intellectum quem Platonis supra demonstravimus, illustrari et confirmari per iustam consecutionem dicemus. Nam quercus et rupes a ligno et lapide non differunt nisi colore sermonis, qui simul popularis simul poeticus quidam aetati poeticae et proverbii, simplex et exactus philosophantium disputationi convenit.

Si quid recte disputavi, Plato in Phaedri exemplo, cui hoc proprium, quod quercui vere vocali propter proverbii

formam constantem alteram aggregavit naturam simplicem non inepte, in hoc simplicitatem hominum i. e. animorum describit, qui vocem verum prodentem animadverterint etiam quum ex simplicissimo quoque instrumento accideret; in duobus alteris locis easdem naturas simplices et indistinctas communiter quidem in utroque ut inanimatas eoque immobiles usurpat, sed ea cum differentia, ut immobilibus in Civitate externa magis ratione utatur tamquam iisdem et ubivis et omni tempore, hisque opponat civitates de morum varietate varias et variantes (quo eodem opposito ulitur Cicero Acad. II, 31, 100), sed in Apologia interpreletur immobiles ad sensus internos rigidas, omni affectu carentes, earumque rigore efferat hominum naturam contrariam (rigore inquam non duritiae, quae exprobrationem haberet).

Verum enim Plato quod in Apologia Homerum auctorem ipsaque huius verba citat, ultro ducimur ad examinanda Homeri exempla duo. Ex his Plato in Apol. Penelopae verborum memor τ, 163 loquentem facit Socratem. Sed antequam singulorum locorum conditionem sententiamque excutiamus illud animadvertendum videtur, quod Platonis duo loci aequae atque Homeri negantium sunt non aientium, itemque ortum ex quercu vel rupe negant cuncta. Quod in Iliadis quoque locum cadere, sane quidem ego adhuc unus profiteor, sed etiamsi de hoc quarto nondum convenerit, liceat primum eam denotare probabilitatem ut hunc ipsum usum ab origine primum exstitisse coniciamus, hanc primam dicti proverbialis enuntiativae iusti formam sumamus fuisse, qua ortus ex quercu vel rupe negaretur. Quae coniectura quoniam interpretationem ad originem proverbii refert, admonet sententiae eius quum tum veteres quidam tum recentiores enarratores et nuper maxime Prellerus opiniones fabulasque subesse vult, quae genus humanum vel homines aevi antiquissimi alia ex saxis (Deucalionis) alia ex arboribus natos ferebant*); nam de arbo-

*) Prellerus in Philol. VII. Die Vorstellungen der Alten — von dem Ursprunge des menschlichen Geschlechts, p. 20 et 21.

ribus quoque quasdam fabulas fuisse Goetlingium negantem admonuit Schoemannus*), qui quidem in alia comment. p. 12. Homeri et Platonis exempla plane eodem intellectu complectitur, in quo Prellerus nobis omnino acquiescendum censuit. Ego quominus acquiescamus obstare arbitror ipsam formam proverbii, deinde aetatum discriminatio contra facit. Quod enim in cunctis exemplis quercus et rupes copulata feruntur, id aliter evenisse fingi non potest, nisi cogitatione eorum, qui principes formulam usurparunt et primum, opinor, in nascendi conditionem discernendam adhibuerunt. Ergo si seorsum utique ortae fuerunt fabulae duae, cogitantes cognitae habere oportuit utramque fabulam. Ut vero aetatem cuiusque non aestimemus ex aetate testium, qui nobis nunc suppetunt sive de Deucalionis iactu lapidum (Pindarus et Epicharmus), sive de nymphis Meliis et si quae fabulae aliae de arboribus sunt; at Deucalionae fabulae ista certe forma non fuit neque primigenia neque admodum antiqua — multum omnino varians ad universum genus humanum sero pertinuit — Meliae vero nymphae et si quas Hamadryadas Schoemannus interpretatur, nulla aetate in communem memoriam aevi antiqui celebratae sunt. Itaque ne Platonem quidem, quamvis utramque fabulam nosse potuerit, illum intellectum secutum esse existimamus. Homerum vero scientia quamvis locuplete fabularum antiquiorum tamen proprias singularum regionum omnium ne potuisse quidem complecti, inter doctos convenit. Qui Gigantas certe non, neque ex saxis neque ex arboribus creatos credit, sed ex terra ipsa; deinde humanitate sua adeo quasdam vulgi opiniones repudiasset videtur; dum enim coelum aeneum et ferreum appellat, longe tamen abest ab ea opinione, qua priscos homines ne coelum aliquando corrumpat metuisse Theognis 869 auctor est; translate scilicet utitur Homerus illis adiectivis: Voelckeri Geogr. Hom. p. 5. Deni-

*) Diss. de falsis indiciis lacunarum theogoniae Hesiod. Gryphisv. 1843 p. 18 et 19 et explicatius in diss. de nymphis Meliis 1845 — 46 maximeque p. 11—13.

que expeditius est ad suspicandum duo illa, quercum (arborem silvestrem) et rupem ex ipsius naturae perceptione repetita et iuncta esse, ut existat par fere tale, qualia usus linguarum plurimarum refert, quum vocabula bina partim etiam alliteratione partim structura congrua *) , in unam imaginem coalescentia totum quiddam conficiunt. Et arbor silvestris et rupes, quamquam indolis tantum similitudine conspirant, commode tamen repræsentant genus eorum, quæ a natura atque, sicuti sine peculiari auctore ubivis eadem nascuntur, indistincta sunt. Nostratum sermone gemeine uncharakterisirt Naturstoffe dixeris. Ex quibus si quid germinat vel solvitur particula, eiusdem est generis. Neque sane homines ætatis etiam tum simplicioris, neque ipse Homerus hæc: „Neque enim mera naturæ gignentis vi genitus es“ — facile aliis verbis exhibere potuerunt. Terræ autem filius, quem Romani appellant Graecis rursus certum et aliud quid sonuisset.

En interpretationem, quam in locum Homeri utrumque quadrare ego quidem arbitror. Et Odysseæ exemplum Doederlinus Gloss. I. 147 prope hoc ipso modo interpretatur. Penelope τ, 162 et 63 ἀλλὰ καὶ ὧς μοι εἰπὲ τέον γένος ὀπύθειν ἐσοί. οὐ γὰρ ἀπὸ θρνός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης. Versus prior vi prorsus æquat tritissimum illud τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἡδὲ τοκῆες; habere autem et quos appellet parentes et unde natus venerit dicere altero versu se credentem profitetur per eam oppositionem, quæ hospitem certe non naturæ filium esse effert, sed certorum. Negat idem simplicius Alcinous Od. 9, 552. Verbo adiicimus propter Goettlingium, suspicionem, quasi hospes silere malit parentes et patriam, plane alienam esse et ab animo

*) Nos: Ross und Reiter, Haus und Hof, Mann und Maus, et de rure: Aecker und Wiesen, Feld und Wald, Berg und Thal. Illud autem quod quaerimus par Latini quidem plerumque duritiæ nota copularunt, Graeci naturæ rudis æquabilitate. De structuræ copulatione varia v. ad Od. μ, 27. Ruris imaginem amoeniorem arbor et rupes non reddunt, sed ut rusticum, rude, asperum repræsentant vel potius materiam efferunt rudem et incultam.

rogantis et a condicione eius qui rogatur. Scilicet ista interrogacione hospites in ipsum hospitium adsciscuntur (ad Od. α, 170).

Sequitur locus II. ζ, 126 qui multis scenam ruris vitaeque pastoritiae habere visus est, eamque ipsis Hectoris qui loquitur verbis diserte adumbratam. Quos Doederlinus Gloss. I. 147 ita secutus est, ut imaginem etiam praesentiosem excitaret; finxit enim dici virginem et adolescentem inter se confabulantes idque de duabus sedibus, altera ad quercum altera ad rupem sumta. Lepida sane imago, eleganterque inventa. Neque verborum structuram comprehensionemque plane repugnare dixim. Certe si quae sunt de virgine et adulescente recte cum versu qui proverbium habet in unum comprehenderentur, liceret et ἀπό — cum δαριζέμεναι iungere et οὐδ' ἀπό πέτρης pro καὶ ἀ. π. usurpatum iis exemplis excusare, quibus Doed. tuitus est. At videre tamen videor rationes, quae potiores aliam ineundam structuram esse evincant, eamque efficiant interpretationem, ut proverbii sententia evadat eadem, quam in priore loco Homeri agnoscendam esse demonstravimus. Ac primum ut quae adversantur ostendam, οὐδέ negantis particulae excusatio parum probabilis ubi propria vis quae distinguendi est teneri potest, duo vero illa, quercus et rupes mera fingendi licentia a Doederlino dispensantur; neque ipsa amoenitatem vel pastoritiae vitae significationem habent cuius scenam ἄλσέα ac similia poeta potius facturus fuisse videtur; denique parum considerate proprie intelliguntur ea, quae alias et exemplis certis per translationem in proverbialem formulam redacta leguntur. Quare cautius saltem illi qui una rusticae simplicitatis et securitatis interpretatione exempla tantum non omnia complectebantur (Mus. Rh. a. 35 p. 441), O. Muellerus et Klausenius.

Verum enim vero, — praeterquam quod quercus et rupes non videri possunt neque ruris amoenas, neque ex prisco aevo obsoletas narrationes referre, sed ipsa pro exemplis

sunt naturalium tamquam agrestium asperorum incultorum — in omnibus istis interpretationibus negligitur orationis quae Hectoris est progressus, fingiturque is heros ea, quae versibus proximis superioribus ipse deliberaverat nimis subito neque per iustam progressionem ad confabulationes velut virginis amasiique abiicere legentibus, si argumentationis aliquid interpositum legeremus, rectius satisfaceret. Hoc ipsum is effert versus, quode controversia est. Procedit Hectoris sermo sic: Paulo ante dubitaverat, an depositis armis nudus obviam iret Achilli eumque fide data de reddendis quae Graeci repetitum venerant omnibus placaret ac foedere bellum componeret. Mox tamen revocato animo atque instaurata Achillis implacabilis imagine intellexit, illum se inermem extemplo potius trucidaturum quasi mulierculam. Iam subiungit isti contentus significationi, quae mulierculae voci inest, haec, statim ex meo intellectu meaque structura conformata reddam: Haud sane ullo pacto nunc tempus est quasi cum homine de vulgari materia ac genere cum hoc confabulari s. agere secure et familiariter (hinc progrediens confabulandi notionem ex Achillis sensu urgens vanitatemque eius amplificans subiicit) velut quum virgo nubilis et amasius, virgo et amasius, inquam, sermones conferunt invicem. Praestat dimicatione configere; age, quam citissime experiamur, utri Olympius victoriam tribuat.

Concinnitatis aptique progressus ratio mihi igitur persuadet, verba controversa cum $\tau\tilde{\omega}$ non cum $\delta\alpha\rho\iota\zeta$. esse iungenda, neque in verbis $\alpha\pi\delta\ \delta\rho.\ \kappa.\ \acute{\alpha}.\ \pi.$ exhiberi sive confabulationis argumentum sive unde repetita fingatur. Quodsi nos sumimus eam inesse brevilloquentiam, qua et $\acute{\omega}\varsigma$ et $\acute{\omicron}\nu\tau\iota$ omissum cogitetur, eam audaciam necessariam quandam esse existimamus in loco ac sermone animi adeo commoti, quandoquidem illud omnino tenendum censemus, $\alpha\pi\delta\ \delta\rho\nu\delta\varsigma\ \kappa.\ \acute{\alpha}.\ \pi.$ nunquam, ab antiquioribus certe, usurpari solitum esse nisi de ortu. Deinde quum ipsa collocatio ac series verborum tum Hectoris et affectus et sermo progrediens eam,

quam reddimus, interpretationem aut flagitat aut commendat prae ceteris.

Postremo loco de Hesiodi exemplo statuendum est. Quod neque oracula sacrumque silentium, neque ruris simplicitatem securitatemque dicere, ut O. Muellero et Klausenio visum est, si quid recte disserui, nunc satis constat. Postquam autem exempla deinceps cuncta ad unum fere revocavi intellectum hunc, ut quercus i. e. arbor silvestris omnis et rupes, duo genera operum naturae gignentis primigenia ac rudia referant, idem intellectus, uti in aliis varie temperatus temperandusque reperiebatur, etiam ad Hesiodeum locum appositus videtur. Ratio quaedam oppositi in exemplis cunctis versatur, varia illa prout opera naturae sive ultro nata illa nunc simplicissima vel rudia, nunc nihil intus mota vel inanimata, nunc ubivis eadem eoque vulgaria et vilia informabantur. Simili utitur Hesiodus quum theog. 35 ipse se interpellat ac revocat his verbis: ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῶν ἢ περὶ πέτρων; περὶ quodammodo i. q. ad, proverbio autem ipsum vulgus designat. Neque recte Prellerus Philol. VII. Hesiodum se ipsum cantorem de plebe appellare interpretatur p. 20. Primum enim poeta se Musarum favore indignum certe non profitetur, sed qui se ab iis sceptro insigni cantorum donatum et divino spiritu auctum narravit, idem in exitu ipse se corripit, quod ea arcana operis et muneris poetici promulgando profanaverit. Dixit autem περὶ non ποτὶ, quod arbor et rupes ipso vocabulorum sono locorum magis naturalium et incultorum admonent quam hominum, ποτὶ non convenit nisi sentientibus ipsis.

Lipsiae.

Gr. Gu. Nitzsch.